

M0011774: Reproduction of a cropped page from Aetius Amidenus' De cognoscendis et curandis morbis sermones sex, jam primum in lucem editi, 1533

Publication/Creation

1951

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m99vdecn>

License and attribution

Conditions of use: it is possible this item is protected by copyright and/or related rights. You are free to use this item in any way that is permitted by the copyright and related rights legislation that applies to your use. For other uses you need to obtain permission from the rights-holder(s).



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

auripigmenti drachmas *iiii*, contere, & adiecto melle, in pyxide figulina repone. Vbi uero usus expetit, supra stigmata prius nitro cōfricata, resinam terebinthinam impone, uinculo adhibito in dies quinque: postera autem die sexta solue, atque acu stigmata penetra, & cum spongia sanguinem exterge, salemque tenuissimum in ipsas puncturas insperge: quem tamdiu inhærere sinas, donec stadia decem quis cursu confecerit: deinde prædictum pharmacum linteum exceptum impone, neque soluas per dies quinque: sequenti uero sexta solue, & stigmata scalpendo expoli: atque ubi quod nigrum fuerit detraheris, rursus pharmacum ipsum illinito cum penna. Eruit enim in uiginti diebus citra magnam exulcerationem, non relicto etiam uestigio cicatricis. Idem efficiunt mordendo erodentia medicamina in uulnerum tractatu descripta.

De uaris faciei, qui tum ionthi, tum acnæ Græcis uocantur. Cap. *xiii*

Vari, ionthi, acnæ.

Solet circa faciei cuticulam tuberculum oboriri, paruum quidem, sed durum, quod uari nomine appellatur. Id sanè à crasso humore producitur. Quare cura eius per ea quæ duriciem emolliunt, & tumorem discutiunt, medicamina perficitur: quorum syluam eiusmodi tibi parabis. Liliæ radicem tritam cum melle illinito, aut cyclamini radicem cum melle, aut narcissi radicem cum melle, aut cassiam cum myrrha & melle, aut plumbaginem cum aceto, aut pulegium tenuissime tritum ac cerato exceptum impone. Aliud.

Mellis & aceti acerrimi, cuiusque æquales partes simul permixtas illini, ac digito circumtere. Aliud. Sepiæ testæ ustæ sextantem, costæ sextantem, myrobalani unciam unam, cōtere cum aqua & illini, arefactum uero rursus humecta. Aliud. Costum contūde, & cribratum in tenuissimum puluisculum redige: deinde cum felle caprino commixtum in cerati modum effin-